

De notione

ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ

in N. T. obvia.

Scripsit

Dr. F. CRUSIUS.

Mira quadam ratione docti sacrae scripturae interpretes de notione regni divini fluctuant atque dissentunt. Alii aliter hac de re statuere. Et doctrinam Jesu Christi aut laetiorum religionis propagationem, et universam omnium fidem christianam profitentium catervam aut piorum hominum egregium imprimis coetum, et felicitatem post mortem exspectandam, et tempus, quo futurum sit ut regnum inauguretur, et universum Dei de beandis per religionem hominibus consilium, multaque alia¹⁾ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ nomine insigniri censem. Sunt qui modo hanc, modo illam, utut verborum nexus postulet, significationem formulae τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ esse tribuendam dicant, significationem tamen primariam, ex qua sicuti ex communione singulae manarint, non exhibentes; sunt alii qui ceteris prorsus neglectis contendant unam tantum alteramve notionis universae partem esse tenendam²⁾.

Singulas virorum doctorum de regno divino sententias diligenter examinare et quae minus recta nobis esse videantur, verbis refellere, longum est neque opus est: nam, quid verum quid falsum esse nobis videatur, ex iis, quae hac de re aggrediemur disputare, sponte apparebit.

¹⁾ Cf. Bauer. (Car. Godofr.) de caussis quibus nititur rectum super notione regni div. in N. T. passim obvia judicium. Spec. inaug. Lips. 1810. 4. p. Isq. (Denuo typis expr. in comm. th. Rosenmüll. I, 2. pag. 107 sqq.) Fleck, de regno div. p. 452. Kuinoel, ad Matth. 3, 2. et Lexicogr. N. T.

²⁾ Sua quisque in bibliis sacris dogmata querit, quae sita invenisse sibi videtur.

Priusquam vero biblicam τ. βασιλ. τ. θεοῦ notionem ex effatis et Christi et Apostolorum eruamus: quaerendum est, quid vox βασιλεία per se spectata in universum significet. *Βασιλεία regnum, communio sive societas est eorum, qui βασιλεῖ regi, domino suo parent.* *Βασιλεὺς rex a civibus colitur atque illustratur, ipse vero consulit iis ac prospicit tamquam filiis*¹⁾.

Si igitur notionem τ. βασιλ. τ. θεοῦ ex sacra scriptura enucleare velimus, tres nobis sunt disputationis partes propositae. Primum enim quaeritur, quid de *rege*, dein quid de *civibus*, denique quid de *fine*, qui illi regno tribuitur, et de *beneficiis*, quibus afficiuntur cives, statuendum sit. Aliae vero quaestiones veluti: quoisque pateat illud regnum divinum, et quo tempore futurum sit ut condatur et consummetur: tertia disputationis parte instituentur.

Pars I.

D e r e g e.

Primum igitur de rege agimus. Quis est rex regni divini? Videamus, quae nobis sacra scriptura respondeat. Tres in ea reperiuntur formulae fere synonymae: βασιλεία τοῦ θεοῦ, βασ. Χριστοῦ et β. τῶν οὐρανῶν. Unamquamque sigillatim considerabimus.

§. I. *Βασιλεία τοῦ θεοῦ.*

Rex τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ Deus est. Quid? Nonne Deus est rex regum, cui omnia, quae sunt in terra et in coelis, subdita sunt et subjecta? Regnum igitur illud, quod sacra scriptura commemorat, nihil aliud est nisi imperium, quo Deus Omnipotens universum hunc mundum regit et administrat? Minime vero. Aliud enim est regem esse hominum et regnare in iis, sive regem appellari et regem revera esse. Rex cives regit, non hostes. Cives vero sunt, qui regi parent; hostes contra, qui ei adversantur. Idem igitur hostis et civis esse non potest. „An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis? (Cic. parad. IV.)“

Omnes homines Deo quidem sunt subjecti nolentes volentes, sed non omnes Deo parent ejusque voluntati obsequuntur: hi hostes sunt Dei, non cives regni divini²⁾. Deus igitur revera eorum tantum rex est, qui dictis divinis obedient.

¹⁾ Cf. Aristot. Ethic. ad Nicom. VIII, 10 sq.

²⁾ Cf. Cic. l. l. et Auctoris incerti Opus imperfectum in Ev. Matth. (vulgo Chrysost. attributum). Homil. XIV. ad Matth. VI.

Homines a Deo creati, imagine divina donati, sibi voluptatibusque suis non imperantes, a societate divina desciverunt, a veritate deflexerunt, ad hostes transfugerunt; et „non gradu, sed praecepiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum (Vellej.):“ ita ut denique quum Judaei tum Gentiles voluntatem divinam neque cognoscerent amplius, neque cognitae, etiamsi voluissent¹), voluntati satisfacere possent. Sapientibus enim et intelligentibus recondita erant Dei decreta (Matth. 11, 25), etiam Judaeis, qui traditionibus hominum perversis et praeceptis, caeremoniisque inanibus quasi suffocaverant legem divinam. Atque quemadmodum iis non probatum est, cognitionem Dei servare, ita Deus eos in mentem reprobam tradidit, ut nefaria facerent (Rom. 1, 29). Epulae quidem erant paratae, sed vocati iis non digni fuerunt (Matth. 22, 8). Hostes Dei erant facti homines. Rebellabant contumaces, obluctabant voluntati divinae, libidinibus suis voluptatibusque plane dediti.

Sed Deus, misericordia dives, gratia excellens et benignitate, eos sibi reconciliandi, peccata omnia delendi, ad vitam novam eos vocandi consilium cepit. Statuerat enim Ille ducem magnum de coelo mittere, qui veritatem nationibus revelaret, animos vigore imbueret; atque „urbi Bethlem contigit, ducem illum salutis coelitus incorporatum gignere²).“ Sic enim Deus mundum amavit, ut filium suum unicum, τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, daret, ut quicunque ei fidem habuisset, non periret, sed vitam aeternam haberet (Jo. 3, 16)³).

§. 2. Βασιλεία Χριστοῦ.

Ut voluntati divinae satisficeret, Christus in mundum venit. Meus cibus hic est, inquit, ut voluntati ejus, qui me misit, satisfaciām, ejusque opus absolvam (Jo. 4, 34). Itaque venit non ut dissolveret, sed ut consummaret legem i. e. voluntatem divinam; ut aeterna et salutaris evangelii lux toti terrarum orbi affulgeret.

Docuit, vixit, mortuus est Christus: ut homines beatos redderet et servaret (Jo. 3, 17); ut culpam poenamque tolleret et peccata remitteret omnibus, qui fidem ipsi praestarent (Mt. 26, 28. 2 Cor. 5, 15). Sed poena sublata si homines peccare sive voluntati divinae resistere et repugnare sicut antea perrexissent: Christus parum iis regnoque divino profuisset. Non

¹⁾ Cf. *Macar. Aegypt. opuscc.*, ed. *Pritius. Homil. II. et Ep. ad Rom. 7, 18.*

²⁾ *Prudent. Hymn. Epiphaniae*, v. 79.

³⁾ *Phil. 2, 6 sqq. — Matth. 21, 37: Paterfamilias filium suum misit ad vinitores.*

solum igitur peccata remitteret eo usque commissa, sed in futurum ea prorsus deleret, et opera diaboli plane destrueret necesse erat. At quanam ratione hoc fieri potuit? Errabant homines in tenebris, spissa quasi caligine obvoluti. Coeci Deum non cognoscebant. Quaenam esset voluntas divina nesciebant, et vel optime cognitam exsequi non potuissent. Christus igitur homines Deum cognoscere et quaenam vellet pater ab hominibus perfici, docuit. Nemo patrem cognoscit, nisi filius, et cui hic patefacere voluerit. Qui ad eum accedunt, fessi et onusti: requiescere eos jubet. Qui disciplinae ejus sese committunt, requiem animis suis sunt lucratu-
turi (Mt. 11, 27 sq.). Patefacta enim lege divina et voluntate, eam etiam exsequendi et perficiendi dedit potestatem. Sine Christo nihil quidem facere possunt homines, quemadmodum palmes nequit sponte fructus proferre, nisi maneat in vite: sed qui illi manet conjunctus, et cui ipse, is multum feret fructum. Christo adjuvante et Spiritu Sancto, novus animis rediit vigor, nova integritas. Christus quasi sol est tenebras dissipans, lucem spargens, corda fo-
vens, vigorem reddens, novam vitam largiens, quem tamquam axem circumvertimur; centrum, ut ita dicam, circa quod gyros ducimus; astrum fulgens, quod admirantes, venerantes, servati suspicimus.

Christus unicus dei filius consors est imperii divini. Ἐγώ, inquit, καὶ ὁ πατήρ ἐν ἑσμεν (Jo. 10, 30). Pater amat filium, ejusque manibus omnia tradidit (Jo. 3, 35). Quae-
cunque pater habet, Christi sunt (Jo. 16, 15). ἐδόθη αὐτῷ πᾶσα ἔξονσις ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς (Mt. 28, 18. — 1 Petr. 3, 22. Phil. 2, 9 sqq. et saepe). Christum igitur colere debe-
mus, quemadmodum patrem colimus (Jo. 5, 23); Christo parere sicuti Deo. ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. ἵνα ἐν τῷ ὄνοματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπορωνίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἔξομολογήσηται ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός.

Christus vero cuique, qui fidem ipsi habuerit, vitam beatam largietur: at, qui obse-
quium filio denegaverit, is non consequetur vitam, sed irae Dei manet obnoxius (Jo. 3, 36).

Itaque qui Deo parent, Christo parent; qui Deum tamquam dominum venerantur, Chri-
stum venerantur, et vice versa. Quo fit, ut cives regni divini in ditionem Christi sint redacti;
ut ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ etiam βασ. Χριστοῦ atque Christus ipse βασιλεὺς¹⁾ et appelletur et
revera sit. Eadem igitur in bibliis sacris βασ. Χριστοῦ dicitur, quae alibi θεοῦ vocatur.

¹⁾ Cf. etiam *Gregor. Naz.*, ed. Paris. 1630. tom. II. carmen VIII. ad se ipsum: Χριστὲ ἄναξ,
οὐ δέ μοι πάτηρ, σθένος, ὅλθος, ὑπαντα.

Quum vero Christus ipse Deo obsequatur, paterque major sit filio (Jo. 14, 28. 10, 29): ipse etiam filius, quando omnia fuerint subjecta, se subjiciet ei, qui omnia ipsi subjicit, ut ab uno Deo omnia ubique pendeant (1 Cor. 15, 28): tum probi solis instar elucebunt in regno patris sui (Matth. 13, 43). Eatenus regnum Christi, qui Dei vicem tenet, universi regni divini quasi provincia (cf. Luc. 19, 12), idque praeparans interdum in scriptura sacra, impensis a Paulo Apostolo, sensu strictiore exhibetur. Cf. Mt. 13, 41. coll. 43. — 5, 18 et Tholuck., Bergpr. ad h. l., p. 145. — 1 Cor. 15, 28. al. Baumgarten-Crusium, bibl. Theol., p. 153.

Christum et verbis et factis ingenue esse professum, se esse Messiam i. e. regni divini sive messiani¹⁾ regem: non est quod uberior disseramus, neque quisquam negare potest. Cf. Mt. 25, 34. Luc. 22, 30. 23, 42. Jo. 18, 37. Mt. 20, 21. At sunt, qui Christum non statim ab initio Messiam se gessisse contendant. Qui satis refelluntur et evangelio Jo. 1, 41. 42. 50. 51. 4, 25. et eo, quod Christus saepissime et inde a primo tempore, quo in publicum processit (cf. Mt. 4, 3. 7, 21), sensu sublimi (cf. Neand., Leben Jesu, p. 129 sqq. et Schleiermach., Dogmatik, ed 3., tom. II., p. 91) et Dei filium et filium hominis, quo nomine Messias insigniebatur²⁾, sese appellat (Joannem Baptistam libere professum esse, Jesum esse Messiam, regem venturum, patet ex Mt. 21, 25.); deinde quod factis, se Messiam esse, dilucide demonstrat: ille enim venit, ut legem consummaret vatumque vaticinia impleret (Mt. 5, 17 sqq. cf. Neand., I. l., p. 161., not. 1); ille et animo et corpore laborantes sanavit (Mt. 8, 5 sqq. cf. quae Neand. adnotavit, I. l., p. 134. Luc. 7, 2 sqq. Mt. 11, 5 sqq. coll. Jesai. 35, 5); ille peccata remisit (Mt. 9, 2. coll. 6. Luc. 5, 20. 24).

1) non sensu Judaeorum, qui Messiam, ducem atque imperatorem, ad restituendam rempublicam venturum esse existimabant.

2) Cf. Daniel. 7, 13. Mt. 16, 16. 26, 63. Jo. 1, 50. Luc. 22, 67—70. Jo. 12, 34: τίς ἐστιν οὗτος ὁ νιὸς τοῦ ἀνθρώπου; verbo cum Fleckio, de regno divino, p. 119: qualis tandem est, quem tu informas, Messias singularis? was ist (wäre) das für ein Menschen-Sohn i. e. Messias? Addo equidem pronomen τίς saepe pro ποῖος poni. Cf. Herm. Viger. p. 146. 731. Soph. Trach. 311: τίς ποτὲ εἰ νεανίδων; ἄνανδρος η τεκοῦσα. Oed. Tyr. 489. Valcken. ad fragm. Callim. p. 23. Et in N. T: Luc. 1, 66. 4, 36. Jo. 7, 36. Imprimis Mc. 4, 41 et Luc. 8, 25: τίς ἄρα οὗτος ἐστιν, ὅτι ο. τ. λ. coll. Mt. 8, 27: ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι ο. τ. λ. (Athanas. homil. in Mt. 11, 27: οὐδεὶς γινώσκει, τίς ἐστιν ὁ πατήρ ο. τ. λ. Legitur in ed. Montef. I. p. 103 sqq.).

§. 3. Βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

Christus, Dei filius, de coelo descendit (Jo. 3, 13. saepe). Donum coeleste hominibus dedit (Hebr. 6, 4). Doctrinam coelestem eos docuit (Jo. 7, 16). Spiritum Sanctum misit, qui eos confirmaret et recrearet (Jo. 16. et saepe). Homines Deo ejusque filio obedientes, regni divini cives, implentur εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ (Eph. 3, 19), adjuvante Spiritu Sancto; Christus animos eorum inhabitat et Deus; coelum amore intimo arctissimis vinculis cum terra est conjunctum, eamque quasi uxorem duxit; coeli aperti cernuntur, et nuntii Dei coelestes adscendunt, descendunt (cf. Jo. 1, 52. coll. Act. 7, 56); homines voluntati divinae sicuti coelorum incolae satisfacientes, tamquam angeli sunt: ita ut una omnium qui coelos habitant et terram, fiat quasi familia, Deum colentium ejusque filium (cf. quae supra diximus), neque coelum amplius a terra differat. Eph. 1, 10. 3, 15 sqq. Jo. 14, 23. Mt. 6, 10. Cf. Chrysost. homil. XIV. in Matth. VI. de orat. dom.: — ὥστε -- μηδὲν διαφέρειν λοιπὸν τὸν οὐρανὸν τῆς γῆς. εἰ γὰρ τοῦτο γένοιτο, φησιν, οὐδὲν διοίσει τὰ κάτω τῶν ἄνω, εἰ καὶ τῇ φύσει διέστηκεν, Ἀγγέλους ἐτέρους τῆς γῆς ήμῖν ἐπιδεικνυμένης.

Quantum igitur patet regnum divinum, sive voluntati divinae satisfaciunt homines: tantum in terra dominantur coelestia. Itaque regnum divinum bene βασιλεία τῶν οὐρανῶν appellatur¹⁾. Etiam Judaei promiscue formulis ἀλλήλων διαβάζοντες et ἀλλήλων utebantur²⁾.

Jam quaerendum est, quis sit rex regni coelorum? Deus est, regnum enim coelorum nullum aliud esse nisi regnum divinum intelleximus.

Deus igitur rex est, qui erit aliquando τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. Christus rex est, qui de coelo descendit, coelestia detulit, regnum condidit, quod Deo aliquando subjiciet. Spiritus Sanctus quoque rex dici potest, quia in civibus regni divini regnat (1 Cor. 6, 19), a Christo, quem ipse abiisset, missus, ut adjuvaret illos et recrearet³⁾.

¹⁾ Haec formula judaizanti Mattheo est propria. Cf. Fleck, I. I., p. 70. — *Βασιλεία τῶν οὐρανῶν* et *τοῦ Θεοῦ* ex usu loquendi familiari aequalibus Christi et App. idem plane significare, loci N. T. paralleli satis comprobant, v. c. Mc. 4, 11 et Luc. 8, 10. coll. Mt. 13, 11. Cf. Bauer., I. I., p. 3.

²⁾ Judaei anxie cavebant, ne nomen Dei quotidiano sermone tererent, itaque, quoad ejus fieri potuit, aliud substituerunt, hoc loco vocabulum ΜΕΣΣΙΝ, et ipsi sperantes, tempore Messiano coelestia de coelo delatum iri ad populum sanctum Israelitarum (Jonath. Mich. 4, 7); id quod Judaei Alexandrini lege Mosaica jam factum esse existimabant. *Tοὺς οὐρανούς* non significare Deum, sed multum differre sensum a *significatione* (cf. Fleck, p. 68 et Bauer. p. 13. not.): non est quod disseram. Cf. Fleck, p. 67. sqq. Bauer. p. 8 sq. Baumgarten-Crus., I. I., p. 151. Tholuck, Bergpr., ad Mt. 5, 3.

³⁾ Imagine usus Ap. Paulus hanc universam divinae voluntati obedientium societatem τὴν ἄνω

Pars III.

De civibus regni divini.

§. I.

Jam quaeritur, qui sint regni divini cives, vel quomodo participes siamus illius regni? ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς τοῦ ἐν οὐρανοῖς regnum coeleste intrabit (Mt. 7, 21. cf. 1 Jo. 2, 17). Quisquis voluntati patris coelestis satisfacit, Christi frater est Deique filius¹⁾ (Mt. 12, 50). Christus autem venit, ut, quid Deus vellet, nobis revelaret, Deoque obediendi potestatem largiretur. Christi sermonem igitur audire, et, ne animi nostri pervicaces se gerant, cavere nos oportet (Mt. 13, 19. Hebr. 3, 15).

Quaenam igitur sunt civium leges? quaenam officia? Quid nobis faciendum est, ut aditus ad regnum nobis pateat? Mentem mutare; inquit Christus (Mt. 4, 17). Nisi quis desuper fuerit natus, regnum divinum videre non potest (Jo. 3, 3). Sed mentem mutare et desuper nasci, sive ad bonam frugem redire non possumus, nisi amor erga Deum et alios nobis insit. Hoc est primum et gravissimum preceptum: in quo tota pendet legis et prophetarum doctrina (Mt. 22, 37—40. Mc. 12, 30. 31. 34. Jo. 15, 9 sqq.). Sincerus vero erga Deum amor in eo imprimis conspici debet, quod primum vehementem de peccatis quae commisimus dolorem capimus. Quis enim, Dei amans, quod praevericatus fuerit patrique dilectissimo adversatus, non lugebit? Quisquis Deum ex animo amat, dolenter fert peccata et quamvis divitiis abundantem se admodum esse egenum sentit (Mt. 5, 3. 4. Luc. 15, 11—32. 18, 10—14).

Deinde qui dolore suo atque egestate valde commotus animoque fractus veram salutem nonnisi in Deo esse quaerendam omnesque opes terrenas atque honores inanes esse intellexerit: summa vi et contentione ut πλούσιος fiat εἰς Θεόν studebit. Ante omnia quemque τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ expetere, summo ejus desiderio flagrare, omnia quae sibi dulcia esse et jucunda videantur, regno divino postponere et, quando Deus jusserrit, libenter impendere oportet. (Mt. 5, 6. 6, 33. Luc. 12, 30. 31. 13, 24 [Mt. 7, 13]. Mt. 13, 22. 44. 46. 14, 26. 10, 37 sqq. 16, 24 [19, 22]. 18, 8. 9. Mc. 9, 43. al.

¹⁾ Ιερουσαλήμ — ἡτις ἔστι μήτηρ πάντων ἡμῶν nominat. Gal. 4, 26. Quibuscum verbis comparare possumus, quae in ep. ad Hebr. 12, 22. legimus: προσελήνθατε — πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ιερουσαλήμ ξπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἄγγελων. (11, 16: ἐπουράνιος πατρός.)

¹⁾ Dei filius i. e. civis regni divini, filius enim patri obedit tamquam domino, saluti ipsius optime prospicienti. Cf. Mt. 5, 9. 45. Rom. 8, 14. al. Baumgarten-Crus., I. I., p. 153. Tholuck., I. I., ad Mt. 5, 9. Lactant. Instit. IV, 3.

§. 2.

Qui tanto peccatorum dolore commoventur, quosque tantum ad meliorem redeundi mentem desiderium tenet, Dei amantes: bonae similes sunt arbori, quae bonos fructus fert. Amor erga Deum in mutuo erga alios amore conspicuus esse; qui regno divino velit adscribi, etiam inimicos diligere debet (Mt. 5, 44). Mansuetudo, lenitas, placabilitas, clementia, patientia, indulgentia, misericordia, liberalitas, munificentia, modestia, temperantia: haec sunt di lucida amoris erga alios documenta, quae civi regni divini deesse nequeant (Mt. 5, 5. 7. 9. 7, 2 sqq. 13, 29. 18, 33. 23, 6—12. 18, 4. al.). Hae virtutes filios Dei ornant decorantque, ad quas multae accedunt aliae, ex sincero erga Deum hominesque amore exortae. Veluti castitas et pudicitia, simplicitas sinceraque fides, probitas vitaeque integritas, sanctitas pietasque non fucata (Mt. 5, 8. 28. 37. 6, 5. al.). Sin vero mens bona et amor desit, bona quae esse videantur opera, bona non sunt: arbor enim vilis bonos fructus ferre non potest (Mt. 7, 18). Bona quae dicuntur opera, nihili sunt, nisi mens bona nobis insit. Sed quidquid ex sincero amore proficiscitur, quamvis sit tenue, magni est momenti (Luc. 21, 1—4. coll. 2 Cor. 8, 12. Mt. 25, 40. al.).

Amor igitur omnes singulas regni divini leges, omnia civium officia amplectitur, ex quo tamquam ex communi fonte omnes virtutes sponte manant. Unus amoris est ardor, unus quasi sol splendens, qui innumerable radios foventes porrigit, una arbor admirabilis, quae aureos fructus fert neque ferre desinet.

§. 3.

Sed quid faciamus ut sol ille nobis exoriatur? ut amor ille sincerus erga Deum hominesque incrementa capiat et consummetur? ut operibus Deo probatis operemur?

Quaenam sint civium officia jam intelleximus: sed nemo, quamvis velit, cognitae voluntati divinae sponte satisfacere potest (Rom. 7, 18): nisi Christus ipsi potestatem dederit (Jo. 15, 4 sqq.). Christus vires dat divinas, novum animi vigorem cuique, qui ipsi fidem adhibet, totumque sese permittit et dedit. Fides in Jesum Christum haec est vis, quae homines sanat, adjuvat, corroborat, quae amorem erga Deum aliosque consummat¹⁾, quae per amorem sese efficacem praestat operibusque divinis operatur. Qui adversa corporis valetudine laborabant, Christo fidem praestantes sanabantur: sanat Christus gravissimo etiam animi morbo percuslos

¹⁾) et vice versa fides consummatur amore; una virtus alias gignit, quae invicem sese adjuvant et augent. Cf. Neand., I. I., p. 428. Luc. 7, 36—50.

peccatores, medico coelesti sese tradentes. Christum fugientes nihil Tacere possumus, quemadmodum palmes a vite avulsus exarescit: Christo fide conjuncti eximos ferimus fructus, quemadmodum palmes vitis succo altus et repletus (Jo. 15, 1 sqq.). Qui Christo fidem habuerit, summa et gravissima opera perficiet; quae vel maxima et nimis ardua sibi esse videantur, exsequetur; Spiritus Sanctus eum adjuvabit; vitam jam habet beatam; mortem non subibit, quemadmodum illi, qui in deserto serpentem (4 Mos. 21, 8. 9) intuiti essent; vivet, quamvis mortuus, atque ex corpore ejus flumina aquae vitae promanabunt (Mt. 17, 20. 21, 21. Mc. 9, 23. 11, 23. Luc. 17, 5. Jo. 14, 12 [cf. Neand., I. I., p. 599]. 14, 16. 17. 16, 7. 3, 1—15. 3, 36. 6, 40. 47. 7, 38. 8, 51. 11, 25 sq. et saepe).

§. 4.

Fides sine amore esse non potest. Qui Deum non amat, Christum non amat; qui Christum non amat: quomodo is fidem habebit illi? Nullo modo. At qui vel tenuissimo erga Deum amore est imbutus (et quis est filius tam degeneratus, ut ne minimi quidem erga optimum, amantissimum patrem amoris compos sit?), is, ubi Christo peccatorum medico suavissimo et servatori fidem habuerit, amore in dies crescat, ejusque fides per amorem efficacem se praestabit, et Dei operibus magis magisque operabitur: ita ut denique Dei gratia a Christo adjutus et Spiritu Sancto voluntati divinae satisfaciat probatusque Deo reddatur. Opera sine fide et amore bona fieri nequeunt. Fides operibus destituta nulla est atque inanis: quemadmodum bona arbor sine fructu, sol sine radiis, fons sine aqua esse non potest.

Haec sunt quae ex Synopticis, qui ipsius Christi verba referunt, et ex evangelio Joannis hausimus: quae nequaquam a dictis Apostolorum, qui et ipsi sibi non adversentur, abhorrere, sed plane cum iis congruere, loci quos adscribimus evidenter ostendunt.

1 Cor. 13, 1 sqq. Gal. 5, 6. 2 Cor. 12, 9. Phil. 4, 13. 1 Cor. 1, 18. 24. Rom. 1, 16.

3, 22. Eph. 2, 8. 6. 1 Cor. 4, 20. 6, 9 sq. Gal. 5, 19 sqq. Eph. 5, 5. Phil. 4, 8 sq. al.

Jacob. 2, 17. 22. 24. — 1 Petr. 1, 5. 2, 6. 12.

Pars III.

De fine qui regno divino tribuitur et de beneficiis quibus afficiuntur cives.

Cap. I.

§. 1.

Summus qui regno divino adscribitur finis hic est, ut Deus colatur et illustretur, ἵνα πάντες ἐν ὀσιᾳ, ἵνα ἦ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν (Mt. 6, 9. Jo. 17, 1. 4. 21. 1 Cor. 15, 28.

Cf. *Neand.*, I. I., p. 608 sqq.). Homines vero eo' illustrant Deum, ut voluntati ejus satisfaciant, ut Deo similes fiant et perfecti, ιγνασμένοι ἐν ἀληθείᾳ (Mt. 6, 10. 5, 48. Jo. 17, 20). Deum autem illustrando et colendo, divinaeque voluntati satisfaciendo, homines ipsi illustrantur et gloriosam felicitatem consequuntur (Jo. 17, 22. 24). Deus enim homines servari, beatos reddi vult, et quemadmodum ipse Deus sanctus beatus est (1 Tim. 1, 11. Jac. 1, 17), quum nemo beatus nisi bonus¹⁾), neque „quidquam sit, quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus,“ neque quidquam, quod beatos reddat, nisi sanctitas et virtus: ita qui divinae voluntati obsequuntur beati sunt²⁾). Salutem consequentur aeternam et admodum laetabuntur, neque unquam laetitia iis eripietur (Jo. 14, 27. 16, 22. 1 Petr. 1, 8. 9).

Ut divina voluntas per homines fiat et in hominibus: hic est regni finis, haec sunt beneficia.

§. 2.

Regnum divinum igitur externum, terrenum non esse, sed internum, coeleste, spirituale ejusdemque generis esse beneficia et bona, sponte appetit³⁾), et sacra scriptura dilucide ingenuaque profitetur.

Regnum internum esse et spirituale docent: Jo. 18, 36 sqq. Lnc. 17, 20—22⁴⁾. Mt. 5, 3 (Cf. quae *Neand.*, I. I., p. 149 adnotavit). Rom. 14, 17 coll. Mt. 5, 6.

Regni beneficia et bona interna esse et spiritualia, evincunt hi loci:

Jo. 14, 27. Rom. 14, 17. 1 Petr. 1, 8. 9. Mt. 5, 4 sqq. παραπληθήσονται (de verbis κληρονομίσουσι τὴν γῆν vid. infra) etc. μισθὸς ἴμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς (cf. Lue. 6, 23). Mt. 6, 9. 10. (*Fleck.*, I. I., p. 434.: id non sit magnificis dapibus.) 22, 23—33. Mc. 12, 18—27. Lue. 20, 27—40. (ad Mt. 22, 30. cf. *Fleck.*, p. 441 et quae *Grotius* adnotavit ad h. 1.)

¹⁾ Cf. *Solonis* verba: οὐδὲ μάκαρος οὐδεὶς πέλεται βροτὸς ἀλλὰ πονηροὶ πάντες δύσους θνητοὺς ἡέλιος καθορᾶ.

Vid. *Theognidis* Megar. sentent. elegiac. access. alior. opera sententiosa. Basil. 1576. p. 161.

²⁾ Cf. *Gregor. Nyss.* ad Mt. 5, 8. *Tholuck.*, I. I., p. 102.

³⁾ Cf. *Calvin.* comm. ad Mt. 3, 2. 6, 10. Jo. 3, 3. *Luther.* Sermon vom Reich Gottes. ed. *Walch.* XII. p. 1938. *Senec.*: voluptas non est digna, ad quam sapiens respiciat.

⁴⁾ ἐντὸς ὑμῶν verbo: in vobis i.e. in animis vestris. Syr.: ﻢَرْ ﺔَمِنْ ﻦَوْ ﻰَلْ ﻪَلَّا ﻰَلَّا
(☞) ἔσω et praefixo ☞ ἔσωθεν. cf. Mt. 7, 15. saep. Rom. 7, 22: οὐτὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον. Mt. 23, 26: τὸ ἐντός.) ἐντός bis tantum in N. T. legitur, hoc loco et Mt. 23, 26, ubi internam partem (pocula et patinae) significat. LXX interpretes eadem significatione hoc vocabulo utuntur. Ps. 109, 22:

11

Jo. 3, 15. 5, 24. ζωὴν αἰώνιος¹⁾ saep. 6, 35: ὁ πιστεύων οὐ μὴ διψήσῃ πάποτε coll.
Mt. 5, 6. — Jo. 7, 38: ποταμοὶ ὕδατος ζῶντος. 17, 24: ἵνα ὢσι μετ' ἐμοῦ. ἵνα θεωρῶσι τὴν δόξαν τὴν ἐμήν.

Multos etiam Synopticorum, non solius Joannis evangelii, locos non ad literam²⁾, sed allegorice vel tropice³⁾, ut ita dicam, esse interpretandos, jure negari non potest.

Veluti Mt. 19, 27—29 coll. 20, 29—28 et Mc. 10, 42—45 al. Quis non videt, de praemiis spiritualibus agi! Cf. v. 29: ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. Ad οἰκίας, ἀγροὺς ἐπανταπλασίου λήψεται cf. v. 24. Et si quis tamen obstinatissime locum in hanc sententiam interpretaretur et ita verteret: in regno Messiano⁴⁾ agros etc. aliquando accipiet⁵⁾: uxorem scilicet et liberos, et patrem et matrem sine dubio „corporatos et veste carnis induitos“ centuplices recuperaret! Ad γυναῖκα, τέκνα cf. 22, 30: οὔτε γαμοῦσιν κ. τ. λ. Etiam cf. ad h. l. 12, 48—50. (ὅστις ἀν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, αὐτὸς μου ἀδελφὸς καὶ ἀδελφὴ καὶ μῆτρος ἔστιν.)

ἐντός μου pro ἘΓΓΕ. 103, 1. Jes. 16, 11. Cantic. 3, 10. (Herodot. ἐντός ἡμαντοῦ. 7, 47. ἐντὸς ἑαυτοῦ γίγνεσθαι in sich gehn. 1, 119. Hom. ἐντὸς ἔχειν. Demosth. in Phormionem p. 913, ed. Reiske: οὐ μέντοι ἐντὸς ὅν quum secum non esset. Suid. ἐντός οἱ λογισμοὶ καὶ ἐνθυμίσεις καὶ πάντα τὰ τῆς ψυχῆς κινήματα.) Praepositio inter autem in N. T. et ab ipso Luca veritutur graece ἐν μέσῳ Cf. Luc. 2, 46. 22, 27. Act. 1, 15. 1 Thessal. 2, 7. Accedit quod Ephraem. Syrum haec perhibere video (Asseman. tom. III. Exhortat. ad poenitent. Str. 56): Regnum Dei intra te est, o peccator, noli extra te cum labore investigare, quod in tuo pectore citra laborem poteris invenire. Et str. 61, 2. 3. locum Luc. 17, 21. fere ad verbum citat. Cf. Chrysost., Luther., etiam luculentos Draesekii, Chrysostomi Germanici, sacros sermones: Vom Reich Gottes, tom. I. Non repugnat, quod Pharisei a regno divino procul aberant. Cf. Olshaus. Comment. ad h. l. et Ephraem. Syr. I. 1.

¹⁾ Senec.: Una res est virtus, quae nos immortalitate donare possit, et pares diis facere. Cf. Lactant. instit. divv. III, 12.

²⁾ Henkii Magaz. tom. V. p. 529: — wenn er (Christus) auch nicht allen Genuss sinnlicher Vergnügen im Reiche des Messias als entfernt anzudeuten scheint (Mt. 8, 11. vgl. 26, 29), so spricht er doch nie vom Genusse des Leviathan im Messias-Reich!

³⁾ non ironice, veluti Liebe: über Mt. 19, 27 ff. Vid. Fleck., p. 436 not.

⁴⁾ Haec enim sunt verba Matth. 19, 28. 29: ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ νιὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσοθε καὶ ὑπεις ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κοίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ. Quibuscum arte cohaerent sequentia: καὶ πᾶς ὅστις ἀφῆκεν οἰκίας, ἥ ἀδελφούς, ἥ ἀδελφάς, ἥ πατέρα, ἥ μητέρα, ἥ γυναῖκα, ἥ τέκνα, ἥ ἀγρούς, ἔνεκεν τοῦ ὄντος μου, ἐπανταπλασίου λήψεται καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.

⁵⁾ Sententia Christo mirum quantum indigna! a Chiliasmis nimirum libertissime usurpata.

Haec hactenus de Mattheo, quem ex *Matthaei* evangelio interpretati sumus.

At verba quae Marcus (10, 30) et Lucas (18, 30) exhibent: ἐὰν μὴ λάβῃ ἔσατον ταπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, οἰκιας, καὶ ἀδελφὸν, καὶ ἀδελφὰς, καὶ μητέρας, καὶ τέκνα, καὶ ἀγροὺς, μετὰ διωγμῶν, καὶ ἐν τῷ αἰώνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον. refellere videntur, quam proposui sententiam. Sed etiamsi haec genuina esse Christi verba concederem, tamen minime cogeremur, ut ad literam ea interpretaremur. Immo patrem et matrem nullo modo quisquam centuplices accipere potest relictos. Id quod per se fieri prorsus nequit. Totius vero orationis nexus etiam impedit, quominus hac ratione interpretetur: Qui opes terrenas Christi causa reliquerit, centuplices aliquando consequetur ejusmodi opes. Cf. imprimis Mc. 10, 25. Lue. 18, 25¹⁾.

Eadem ratione hic se habet locus: Mt. 26, 29. Mc. 14, 25. Lue. 22, 16. 18. coll. Jo. 6, 35. 48—58.

Ab Apostolis nonnulla Christi verba et dicta non statim bene intellecta fuisse, nequam nego. Erat enim Spiritus Sanctus, qui demum post Christi discessum missus εἰς πάσαν τὴν ἀληθεῖαν sensim²⁾ eos perduceret (Jo. 16, 13). Cf. Tholuck., I. l., p. 150. ad Matth. 5, 18. Sed multos locos et ipsi Synoptici allegorice vel tropice, ut ita dicam, interpretari sint necesse est, nisi quis plane mente captos fuisse eos contendere velit. Veluti Mt. 8, 22. Lue. 22, 36³⁾ (coll. 17, 21. Jo. 18, 36. Mt. 26, 51—53). Mt. 28, 20. al.

§. 3.

A quibus regni divini dotibus et bonis internis reale, ut ita dicam, elementum distin-

¹⁾ Cf. Neand. I. l. p. 534: Die Art, wie Christus in dem ersten Satze die Verheissung ausspricht, musste ja auch selbst die in sinnlich-chiliastischen Erwartungen Befangenen zu dem Bewusstsein führen, dass jene Verheissung nicht auf eine buchstäbliche und sinnliche Weise zu verstehen sei, sondern nur in einem geistigen Sinne etc.

²⁾ Cf. Neand. p. 559 sq.: Vieles — gehörte ja auch zu den Dingen, welche sie damals zu fassen nicht vermochten, welche ihnen erst durch die Erleuchtung des Geistes und den *Entwickelungsgang der Geschichte* klarer gemacht werden sollten. — es war überall Christi Methode, den Samen vieler Wahrheiten in ihre Seelen einzustreuen, der erst später in ihrem Bewusstsein aufgehen und sich *entwickeln* sollte.

³⁾ Cf. Neand., p. 594: Der ganze Zusammenhang der Rede lehrte ja die Jünger, dass sie alles dies nicht *buchstäblich*, sondern nur als *symbolische Einkleidung eines allgemeinen Gedankens* zu verstehen hätten. Und aus dem Beispiele Christi, dem Geiste seines ganzen Lebens, dem, was er in der Bergrede und sonst vielfach ihnen gesagt hatte, konnten sie ja, wenn sie nicht ganz *gedankenlose Zuhörer* waren, leicht abnehmen, dass er nicht wirklich meinen konnte, sie sollten sich Messer oder Schwerter anschaffen.

guendum est. Regnum intus quidem fundatur bonisque internis revera constat: sed inde longe lateque diffunditur et fermento simile omnia etiam externa magis magisque penetrabit (Mt. 13, 33). Omnia vitae instituta regnum divinum in dies magis emendabit, omnia sicuti sal quasi condiet. Tamquam urbs in monte posita, procul jam visa, tamquam lucerna accensa, candelabro imposita: regnum divinum splendebit, ut omnes homines civium virtutes intuiti patrem coelestem illustrent (Mt. 5, 13 sqq.). Regnum divinum in dies crescat atque augebitur in terra. Eatenus regni illius cives *κληρονομίας* τὴν γῆν. Mansuetudine regnabunt, ministrantes, non imperantes ut reges terreni et principes: usque dum erit unus pastor¹⁾), grex unus²⁾ (Mt. 5, 5. 20, 25 sqq. Luc. 22, 25 sqq.).

Cf. 1 Cor. 6, 2. Rom. 8, 21. 2 Petr. 3, 13. et Tholuck., I. I., p. 89. ad Mt. 5, 5.

Quae docens Christus V. T. imaginibus utebatur. Discipuli autem initio nonnulla ejusmodi effata σαρκιζόσ interpretati sunt neque omnia statim bene intellexerunt. Quam ob causam Spiritum Sanctum Christus se missurum esse pollicitus est, qui ad veritatem plane intelligendam animorum oculos aperiret. Vid. supra.

§. 4.

Epimetron.

Regnum divinum „praefiguratum“ (Lactant.) est theocracia Judaica; populus Israelitarum, Dei peculium, vinea illa, regnum divinum, ut ita dicam, praeparavit (Mt. 21, 33—44). Foe-dus vetus cum Judaeis (unum verum Deum colentibus) Jova per Mosen fecit. Quod illi violarunt, neque legi divinae satisfacere potuerunt. Itaque praemia illius foederis atque beneficia perdiderunt. Deus vero gratia infinita abundans et amore, novo se hominibus foedere junxit omnibus³⁾), qui Jesu Christo unico ipsius filio, quem misit μεστήν, fidem per amorem efficacem haberent. Qui Christo fidem habet, quod quisque, si velit, potest: is Deum illustrat, voluntati divinae satisfacit, et vitam felicem eamque perpetuam agere jam coepit.

¹⁾ De voce ποιμήν cf. Aristot., I. I., VIII, II.

²⁾ Cf. Neand., I. I., p. 151: — Weltherrschaft, zu welcher die Christen als Organe des Geistes Christi immer mehr gelangen sollen, wie das Reich Gottes immer mehr die Herrschaft über die Menschheit und alle menschliche Verhältnisse gewinnen soll, bis dem vollendeten Reich Gottes die ganze Erde wird unterthan sein.

³⁾ Judaei aequae sonentes sese praestiterunt ac gentiles, οὐκ ἡσαν ἄξιοι Mt. 22, 8. quam rem infra uberiorius disseremus.

Regnum igitur divinum (beata¹) est eorum societas, qui Deo tamquam regi (domino) ([et patri²]) ipsorum saluti optime prospicienti³) parent³) i. e. voluntati ejus (Christo adjuvante⁴) et Spiritu Sancto) satisfaciunt⁵).

Cap. III.

De ambitu regni divini.

Quousque pateat regnum divinum, sponte apparet: omnes enim sunt cives regni, qui voluntati divinae, Christo fidem habentes, satisfaciunt. Sed quum multi dubii haeserint, utrum Christus abrogandam esse legem Mosaicam censuerit, necne: nonnulla de hac re addamus necesse est. Legem Mosaicam caeremonialem et ritualem, quae dicitur, nullius esse ad salvatorem consequendam momenti, Christus et dictis et factis ingenuus professus est.

Judei Christo, ut probrum, objecerunt, quod is sabbato aegrotos sanans legem laesisset (Jo. 5, 9 sq. 16 sq. 7, 21 sq. 9, 14 sq.); Christus vero saepe effatus est, gravius esse aliquid et templo et templi cultu et caeremoniis Judaeorum.

Mt. 12, 1—8. Mc. 2, 23—28. Luc. 6, 1—5. Ad Mt. 12, 6. cf. Neand., I. 1., p. 119
sqq. Jo. 4, 23 sq. Mt. 15, 1—20. Mc. 7, 1 sqq. Mt. 9, 14 sqq. Mc. 2, 18 sqq.
Mt. 22, 34—40. Mc. 12, 28 sqq.

Cf. Act. 6, 14.

Etiam gentiles sanare beatosque reddere voluisse Christum, ex locis qui sequuntur dilucide patet:

Mt. 8, 5—13. Luc. 7, 1 sqq. Mt. 15, 21—28. Mc. 7, 24 sqq. (v. 27: ἀφεσ πρωτον τὸν ζῷον σθῆναι τὰ τέκνα. Mt. 15, 28: μεγάλη σου ἡ πιστις.) Mt. 24, 14. (Mc. 13, 10.) 30. 31. 25, 31 sqq. 26, 13. 28, 19. Marc. 16, 15. Act. 1, 8.

¹) Beata sit necesse est. Vid. supra.

²) Qui revera rex est, tamquam pater civium saluti prospicit. Vid. supra.

³) Non est quod addam: amantes, volentes; nam qui coguntur, quum amor desit, non obsequuntur, sed oblictantur. Tyrannus cogit, rex regit. Cf. Op. imperf., I. 1.: Diabolus plane tyrannus est, quia et nolentes compellit facere voluntatem suam.

⁴) Christum enim fugientes, nihil facere possumus. Vid. supra.

⁵) Cf. Tholuckti verba (I. 1., ad Mt. 5, 3., p. 76): Eine Gemeinschaft, in welcher Gott herrscht, und welche, wie dies in den Begriff einer rechten Herrschaft gehört, nicht bloss aus Zwang, sondern in freiwilliger Liebe ihm gehorcht, wovon denn zugleich eine nothwendige Folge ist, dass sie in wechselseitiger Handreichung der Liebe innig mit einander verbunden sei.

Cf. etiam parolas: Mt. 22, 1—14 (v. 9). 21, 33—44 [20, 1 sqq.]. Jo. 4, 23 sq. 3, 42. 17, 21 (*κόσμος* non terram Judaicam significat, sed orbem terrarum; cf. formul. ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου et Fleck., I. l., p. 477). 10, 16 (oves ex *alio stabulo* sunt congregatae, ut sit unus pastor, grex unus).

Quid est, quod de Apostolis loquar, imprimis de Pauli sententia et dictis? Cf. Act. 15.

Nihil igitur refert, utrum illotis manibus cibum comedas, nec neque circumcisio quidquam valet ad salutem aeternam impetrandam, neque praeputium: sed una fides, quae per amorem sese efficacem praestat (Mt. 15, 20. Gal. 5, 6). Omnes caeremoniae et ritus, omnia hominum praecepta et instituta externa nullius sunt momenti: una mens bona valet, unus amor, una fides. Israelitae, qui Christo fidem non habuerint, peribunt; gentiles, qui fidem habuerint, vitam aeternam consequentur. Ergo abolemus legem per fidem? Absit hoc! Immo stabilimus legem. Τέλος γάρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι (Rom. 3, 31. 10, 4. 8, 3 sq.). Cf. Neand., I. l., p. 125.

Cap. III.

De tempore quo regnum divinum consummabitur.

§. I.

Viri docti alii contendere, regnum divinum jam conditum adesse, alii futurum esse ut condatur. Quid verum, quid falsum esse videatur, ex ea quam proposuimus regni divini definitione, sponte apparent. Qui voluntati divinae satisfacit, regno illi adscriptus est; ei regnum praesens adest. Christus omnium hominum primus voluntati divinae plane satisfecit; Christus igitur, rex illius regni et primus civis, revera regni fundamenta jecit regnumque condidit. (Cf. Thobuck., I. l., p. 77. ad Mt. 5, 3. Neand., I. l., p. 108.) Hac beata societate cum Deo ejusque filio omnes, qui patri coelesti parent, junguntur. Quisquis Christo fidem habet, ei regnum divinum praesens adest. „Peregrinus est mundi hujus civis supernae Hierusalem (Tertull., de cor. mil., 13).“ Corpore in terra ambulans, animo in coelo conversatur¹); et invisibili cuidam urbi²) vel civitati vel ecclesiae est addictus (Phil. 3, 20. I Cor. 6, 17. coll. Jo. 17, 16. 21—23. [24]).

Regnum igitur divinum praesens adesse dicitur:

¹⁾ Cf. luculenta Macarit verba, homil. 46 ap. Pritium.

²⁾ De imagine τῆς ἀνω Ἱερουσαλήμ vid. supra.

Mt. 11, 12. 12, 28. 16, 19. Mc. 12, 34. Luc. 16, 16. (de 17, 21. vid. supra.)
Rom. 14, 17, 18. 1 Cor. 4, 20. Col. 1, 13 (4, 11). Hebr. 12, 28.

§. 2.

Sicut anima in hac terra sine corpore esse non potest, ita societas illa civium invisibilis corpore quasi induatur necesse est: quae ecclesia visibilis dicitur. Christum ecclesiam condere voluisse, loci Mt. 18, 15—18. 16, 18 sqq. comprobant. Quam ob causam et baptismum, symbolum initiationis, quo in ecclesiam recipiuntur cives, et sacram coenam, visibile necessitudinis Christi cum suis intimae signum, constituit. Joannis (4, 21—24) verba nequam repugnant; immo, theocracia Judaica sublata, alia societate jure ac rite conjungerentur cives necesse erat.

Sed sicut quidquid externum est et corporale, imperfectum est: ita etiam ecclesia visibilis. Multi enim spurii ejus cives¹⁾ inveniuntur, qui regni divini cives revera non sunt. Spurii vero et infirmi ecclesiae socii, ne triticum cum lolio evellatur, societate civium regni coelestis non privantur, neque prorsus eorum salus desperatur, immo spes affulget fore ut bonorum exemplo incitati ad meliorem frugem redeant (Mt. 13, 24 sqq. 37 sqq. 47 sqq.).

Itaque ecclesia visibilis homines educat, instituit, praeparat ad vitam beatam in coelo degendam sive ut veri regni divini cives fiant.

§. 3.

Siquidem regnum divinum futurum esse multi sacrae scripturae loci demonstrant: duplice ratione illud nascens esse dicimus.

Primum enim quo magis ecclesia visibilis purgatur et propagatur, sociique ejus ad meliorem frugem redeunt, Christi spiritu acti, et quidquid Deo obductatur, malum et diaboli imperium vincunt atque frangunt: eo magis regnum divinum omnia etiam externa penetrat, iugitat, purgat, et tamquam in oculis positum ac visibile venit: usque dum erit unus pastor, gress unus.

Dein quo plures ecclesia visibilis homines educat atque dignos reddit, qui in regnum divinum recipientur, et quo plures veros regni divini cives ipsa complectitur: eo magis ecclesia etiam invisibilis crescit regnumque divinum augetur.

¹⁾ quasi inquilini et πάροιχοι. Liv. 45, 23: Nulla est civitas, quae non improbos cives aliquando et imperitam multitudinem semper habeat.

Corpus vero quum impedit, quominus homines toti in coelis conversentur: quisque post mortem demum, superatis omnibus hujus vitae impedimentis vinculisque solutis, bonorum regni divini dotumque prorsus compos erit.

Itaque regnum divinum revera non solum¹⁾ praesens adesse civibus, sed etiam esse futurum dicere possumus. Eadem ratione ζωὴ αἰώνιος et praesens adest et futura est: qui enim Christo fidem habet, vitam, quam post mortem consequetur infinite beatam, jam agere coepit (Jo. 5, 24.).

Regnum divinum saepissime in N. T., et in evangelii et ab Apostolis, nascens et futurum appellatur.

Veluti Mt. 6, 10. 25, 34. Mc. 9, 1. Luc. 13, 29. 21, 31. saepe.

1 Cor. 6, 9. 10. 15, 50. Gal. 5, 21. 2 Thess. 1, 5. 2 Tim. 4, 18. 2 Petr. 1, 11.

Act 14, 22 sqq.

§. 4.

Quoniam regnum divinum potissimum futurum est, post mortem consummandum, et beata cum Deo atque Christo societas post mortem nullo adstringetur impedimento: saepenumero in sacra scriptura formula βασ. τοῦ θεοῦ ad beatam illam societatem vitamque aeternam et eam felicem potissimum spectat. Et quum futurum sit ut regnum consummetur, tempus condendi regni divini etiam αἰών μέλλων s. ἐρχόμενος dicitur. (Mt. 12, 32. Luc. 10, 30. Eph. 1, 21. Cf. Hebr. 2, 5: οἰζουμένην τὴν μέλλονταν.)

Ut vero regnum omnibus numeris partibusque perficiat et absolvat, Christum aliquando esse venturum, vivos judicaturum et mortuos, multi loci, imprimis parabolae Jesu perhibent, veluti Mt. 13, 30. 39 — 43. saepe.

Quod judicium jam haberit coepit: qui enim fidem habet, vitam animi felicem eamque perpetuam agere incepit; qui denegat fidem, eo jam damnatus est, quod nomini illius, qui unicus est Dei filius, fidem non habuit. Jo. 5, 24. 3, 18. Judicium vero extremum exercabit Christus idque perficiet ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Jo. 5, 28. 29. 6, 44.

§. 5.

Multi quaesiverunt, quo tempore futurum sit, ut Christus redeat ad regnum illud inaugurandum et consummandum? Respondemus cum sacra scriptura ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, quum

¹⁾ Das Reich Gottes ist mehr ein zukünftiges, als ein gegenwärtiges, mehr ein jenseitiges, als ein diesseitiges: aber nicht ausschliesslich.

nefas sit, ultra Christum sapere. Christus enim diem illam non constituit, immo incertam esse relictam voluit: ne homines securiores fierent¹⁾.

Apostoli Christi redditum tamquam proxime instantem vehementer desiderabant.

1 Petr. 4, 7. Act. 2, 7. Jac. 5, 8. 9.

Imprimis Paulus, qui Jesum ipsum hac de re disserentem non audiisset.

1 Cor. 7, 29. 10, 11. 15, 51. 1 Thess. 4, 15. 17.

Sed cf. etiam contra **2 Petr. 3, 8. 9. 12. 2 Thess. 2, 1** sqq.²⁾.

Sunt qui et ipsum servatorem proxime instare redditum suum censuisse contendant, quamvis ille neque diem neque horam constitutas neque cuiquam nisi Deo ipsi notas esse dixerit: ita ut Christus diem quidem et horam non destinaverit neque cognitas habuerit, sed (nescio an) annum videlicet.

Haec imprimis dicta probantia laudant: **Mt. 16, 28. 24, 1** sqq. et II. parall.

At etiamsi Apostolos³⁾ illa Christi verba primo praesertim tempore ad literam esse interpretatos neque satis intellexisse libere profitemur (cf. quae supra de hac re monuimus et *Neand.*, I. I., p. 470. 559): tamen Christum ipsum verba ita intellexisse nequaquam concedere possumus.

Jam ea mihi neutiquam probari potest interpretatio, Christum dixisse, diem quidem et horam se nescire, sed annum fere esse revelaturum (cf. *Neand.*, I. I., p. 560).

Deinde prorsus incredibile est, omnino virum sapientem, nedum integrum, sanctum Dei filium (qui se esse mundi lucem, se ipsum veritatem; coelos et terram interitura esse, minime vero vel nunquam sua ipsius verba, gloriatus sit) admodum distincte et magna fiducia — *αὐτὸν καὶ τὸ λόγον* — quidquam promisso quod non evenerit. Tum a discipulis (**Jac. 4, 13—15**) discere potuisset!

§. 6.

Ut dicam quid sentiam: Synoptici, qui nonnulla Christi verba initio σαρκικῶς interpretati esse mihi videntur, etiam I. I. sensum voc. ἔργεσθαι non statim bene intellexerunt. Imprimis *Matthaeus*⁴⁾, quae ejus est consuetudo, locos similes conjunxit et dicta distinguenda atque secernenda (cap. 24. de diruenda urbe Hierosolyma et de judicio extremo) miscuit. Suis ipsius auribus ille non percepit, quae Christus de rebus novissimis dixerit (**Mc. 13, 3**).

¹⁾ Cf. *Olshaus.*, Comment. ad Mt. 24, I, p. 863.

²⁾ Cf. *Baumgarten-Crus.*, I. I., p. 446.

³⁾ Praeter Joannem.

⁴⁾ *Neand.*, I. I., p. 562: der Redacteur des griechischen Matthaeus, de qua re sub judice lis est.

Lucas, quem commentarios suos non post urbem dirutam scripsisse patet (cf. Neand., I. I., p. 562 contra Strauss. et De Wett.), melius ea distinxit.

Si Christus quoad Hierosolymam urbem diruendam dixit: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μόνον παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται: quod revera evenit, est vaticinatus propheta. At si profecto affirmavit: esse aliquos, qui adstant, mortem non subituros, donec filium hominis in regno suo venientem vidissent: non visibilem domini redditum, sed invisibilis ejus, regnum divinum magis magisque stabilientis consummantisque, adventum¹⁾ intelligendum esse censemus. Quacum sententia bene congruunt Marci verba (9, 1), qui exhibet: τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθεῖσαν ἐν δυνάμει et Lucae (9, 27): τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ sine additamento.

Christum vero saepissime allegorico dicendi genere et mystico, quod dicitur, usum fuisse, non solum Joannis evangelium, sed etiam Synoptici dilucide demonstrant. Qua de re jam supra disputavimus. Hos igitur tantum locos nunc allegatos velimus, qui Christum I. I. τὸ ἔργον αὐτοῦ allegorice intellexisse, admodum probant:

Mt. 18, 20. 28, 20. Joann. capp. 14—16 (14, 3. 18 sqq. Cf. imprimis v. 21: εἰργανίσω αὐτῷ ἐμαντόν, quod circumserbit et declarat v. 23 his verbis: πρὸς αὐτὸν ἐλενσόμεθα (ἔγω καὶ ὁ πατήρ) καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν²)).

Bene consonat cum interpretatione nostra Apoc. 2, 5. 16, 3, 3. (vid. Luc. 12, 38 sqq.)

§. 7.

Christum vero prorsus satisfecisse promisso, mox se esse venturum ἐν δόξῃ, et regnum suum ἐν δυνάμει: quis negare audebit?

Nonne venit ille festo pentecostali, turbine vectus, admodum insignis (Act. 2, 2 sqq.), ejusque regnum luculenter est auctum? Tria enim hominum millia illo die addita sunt sectatoribus Jesu (Act. 2, 41. 47).

Nonne venit in nubibus coelestibus, Stephano visus, stans ad dextram divinae majestatis, et qui dispersi fuerant, pervagati sunt terram, ut sermonem laeta nuntiantem traderent? (Act. 8, 4 coll. 11, 19—21.)

Nonne venit Paulo apparens, fulminis instar, isque praesidium insigne est factum, quo Christi nomen ad gentes principesque et filios Israelis perferretur? (9, 3 sqq. 15.)

¹⁾ Neand., I. I., p. 470: das mächtige Hervortreten des unter allen Kämpfen siegreichen Gottesreiches.

²⁾ Cf. Baumgarten-Crus., I. I., p. 441 sqq.

Nonne venit ad urbem Hierosolymam diruendam, vehementer Judaeos judicaturus¹⁾?

Hodieque Christus venit, ut egregia facinora edat, magnas res atque divinas gerat, regnum suum in dies propaget, augeat, consummet²⁾. Singulisque diebus futuris veniet omnibusque qui eum invocaverint, apparebit³⁾. Totus vero suis praesens aderit perpetuo mansurus: quando adversarii omnes veluti scabellum pedibus ejus fuerint suppositi (Hebr. 10, 13). Quando autem omnia ei fuerint subjecta, ipse etiam filius se subjiciet ei, qui omnia ipsi subjecit, ut ab uno Deo omnia ubique pendeant: *ίνα ἡ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.*

Soli Deo gloria.

¹⁾ Cf. Neand., I. I., p. 561: — Triumph in dem Untergange der bisherigen sinnlichen Form der Theokratie und der dadurch beförderten freieren und mächtigeren Ausbreitung seines Reichs. Olshaus., I.I., ad Mt. 24, 1, p. 865: — furchtbare Strafgericht, das Hauptsymbol für die bevorstehende Scheidung aller in Gerechte und Gottlose. Kuitnoel., comment., p. 461.

²⁾ Olshaus., I. I.: — hierin ist es auch begründet, dass grosse Momente der Geschichte, in denen sich entweder die Fälle des Segens, der in Christo ist, oder sein Ernst wider die Sünde anschaulich offenbarte, als Vorbilder der letzten Zeit, als ein Kommen Christi aufgefasst werden können.

³⁾ Cf. Hamann (Herbst, Bibl. christ. Denk., tom. I, p. 85.) dictum: Der Tod jedes Menschen ist die Zeit, wo die Offenbarung der Zukunft des Herrn zum Theil an der Seele erfüllt wird. In diesem Verstande ist es buchstäblich wahr, dass die Zeit der Erfüllung nahe ist.